



† R. P. Iulius Vignerón (1858–1932)

(Prov. Lugdun.)

R. P. Iulius Vignerón, mortuus die 12 Maii 1932 in domo studiorum Attert Provinciae Lugdunensis, magna et multa virtutis exempla nobis reliquit, praeprimis tenerae in confratres caritatis, indefessi in labore ardoris et sinceræ erga Congregationem et Superiores devotionis.



P. Vignerón iuvenis.

Haec in libello nuper edito « Le R. P. Vignerón »¹ et ad omnes Provinciarum Gallicarum domos misso abunde et nitide conscripta sunt; attamen non a re alienum videtur e tanto prato flosculos aliquos excipere, qui ceteris Congregatis suavem virtutis odorem efflent.

R. P. Vignerón natus est die 26 Maii 1858 in pago *Buissoncourt*, ubi pater eius tabellarii munere fungebatur, haud procul a basilica S. Nicolai in Lotharingia. Mox in hanc urbem translatus est, et cum quartum et decimum annum complevis-

set, petiit Contaminas ad Arvam, ubi adolescebat recens iuvenatus, cura et laboribus Patris Victorini Hanger. Ibi Iulius noster se erga Congregationem caritatem ac pietatem pleno ore hausisse fatetur, ac petulans ingenium domare edoctum esse.

Circa finem anni 1874 in novitiatum admissus est Avoniensem, et post exactas litterarum ac philosophiae scholas vergente anno 1880 in Hollandiam exsul migravit cursumque theologicum, qui tunc temporis quinquennalis erat, perfecit.

Quantum in hoc vicenario studiorum stadio profecerit, ostendunt et indefessus eius in volvendis libris ardor, et innumeri notarum, scriptiorum, orationum codices, quos ad finem usque vitae diligenter servavit et in sedecim domos in quibus sedem figere iussus est transvexit.

Verum est eum minus acumine ingenii praestitisse quam tenaci memoria, vivida imaginandi sentiendique facultate, cum eximia dicendi facilitate et aequabilitate. Labore tamen et studio id consecutus est, ut

¹ *Analecta* XIII (1934), 128.

solida atque abundantī doctrina ornaretur, qua instructus atque eruditus quibusvis in adiunctis Ecclesiae et Congregationi utilitati et emolumento esse potuit (cfr. Const. 7).

Non enim solis missionibus praedicandis floruit, sed et omni exercitiorum spiritualium genere: novenis, triduis, mensibus sive Augustae Virgini, sive SS. Cordi sacris, immo furente persecutione etiam stationibus Adventus et Quadragesimae. Nec solas animas derelictas audientes habuit, sed etiam viros et foeminas honestiores, clericos et sacerdotes, moniales et monachos, et ipsos confratres, quibus e bello redeuntibus exercitia spiritualia tradidit.

Qua dicendi continuatione id effectum est ut, ceteris praedicare reuolentibus, propterea quod imparati essent aut timidi, P. Vigneron vocanti semper praesto fuerit. Anno 1912, dum Divione praedicat, evenit ut Pater, qui exercitiorum autumnalium tempore coram Studentibus conationaturus erat, nescio quo deterritus obstaculo, Attert venire non potuerit. — Commotus est Praefectus. Sed quid faceret? Nemo erat inter Lectores qui hunc laborem suscipere auderet. — Mox in mentem venit nomen P. Vigneron. Sine mora scribit Praefectus; sine mora respondet ille et die praedicto adest et peractis exercitiis evolat ad alium laborem.

Nemo itaque mirabitur, quod hisce 40 anni vertentibus 75 dioeceses peragravit et 19 exterās.

Nec contentus fuit vocis apostolatu, sed et calamo animas lucrari et Congregationi inservire voluit. Historiam scripsit Sororum a S. Carolo dictarum et aliarum qua a S. Familia appellantur et memorialem librum de nostris in immani bello versatis: *Trésor de famille*. Indefessus scriptor fuit in nostro « *Apôtre du Foyer* », nec calamus posuit nisi morte victus. Id enim ab initio statuerat: « Cum de condendo hoc periodico deliberatum est, negativum dedi suffragium. At nunc, quia aliter maiori parti Rectorum placuit, iam illud totis viribus adiuvabo atque favebo ».

Nec poetae vena huic viro tam operoso tantaque ingenii varietate praedito defuit. Vix ulla fuit dies sollemniis celebrata, quin circa finem prandii assurgeret P. Vigneron, chartam manu tenens, et voce prius tussi purgata heroem celebraret.

Diligebat enim omnes fratres suos nec quidquam intactum relinquebat ut hunc amorem significaret. Nec tempori parcebat, nec viribus, nec labori. Hinc illae innumerae epistolae quibus tristes solabatur, lassos reficiebat, vacillantes in sua vocatione confirmabat. Eius tenaci opera ac consiliis, dum regit domum Montalbanensem, dilectus Fr. Nicoulean praeter spem et contra spem in Congregationem admissus est. Maxima quippe videtur in eo fuisse et compatiendi facultas et amandi fidelitas.

Hanc animi sui propensionem describit in illa notula raptim conscripta quam e vita S. Teresiae a Iesu Infante deprompsit: « Duas puellas (scribit

illa) in amicas tunc mihi elegi. Sed quam angustum est cor creaturarum! Una de illis coacta est domum redire paternam in plures menses. Absentis amicae non commisi ut in oblivionem venirem, ipsamque redeuntem magna laetitiae significatione excepi. Heu! Vix in me torpentes oculos conicere diguata est: meam respuebat amicitiam. Tristissima recessi neque unquam in posterum tam fugacem amorem mendicare volui. Attamen corde fideli me Deus donavit, quod ubi semel dilexit, constanter diligit. Pro hac sodali orare persevero eamque amare non cesso ». Sic S. Teresia. — « Oh, quam similis illi sum! exclamat P. Vigneron, ... « si tamen sanctitatem excipias ».

Nos vero nec ipsam sanctitatem excipimus. Si enim non ad heroicam omnium virtutum praxim ascendit, tamen non vulgares fuerunt in eo caritas fraterna, paupertas, filialis devotio in Christi passionem et B. Virginem et praesertim obedientia erga Superiores. Hos colebat, etsi aetate, meritis aut experientia sibi inferiores. Abhorrebat ab ista iudicandi et maledicendi prurigine quae nostrae aetatis est.

Dictitabat se paratum esse cuivis Superiori praecipienti id respondere quod primae proprii nominis litterae significabant: J. V., quae Gallice pronuntiantur, *J'y vais*, id est: « Praesto sum ».

Et re quidem vera, suis Praelatis semper praesto fuit, non modo praecipientibus, sed et proponentibus. Praesto fuit, cum philosophiam docere missus est Uvir 1885; deinde S. Scripturam Dongen 1889-1893 et Attert 1908; demum historiam ecclesiasticam iterum Attert 1921-1932. Praesto fuit, cum huc illuc cursitare coactus est, ut laboribus apostolicis perfungeretur. Et cum subito ad aeternam coronam vocatus est die 12 Maii 1932, nemini dubium est quin laetus dixerit: « Praesto sum - *J'y vais!* »